





DISSERTATIO PHILOSOPHICA  
MEDITATIONES  
QVAS DAM  
DE  
**G V S T V**  
IN LITTERIS PRAECIPVE  
ELEGANTIORIBVS  
EXHIBENS  
QVAM  
SVB AVSPICIIS DIVINIS  
ET  
CONSENSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM  
ORDINIS  
PUBLICAE ERVDITORVM DISQVISITIONI  
SUBIICIENT  
**M. ERDM. SIGISM. BASCH**  
SORA - LVSATVS  
ET  
RESPONDENS  
**IOANNES CHRISTOPH. GREVIUS**  
HAMBVRGENSIS,  
SOC. LAT. IENENS. COLLEGA ORD.  
A. D. XVIII. IVNII CICIO CC LX.  
IENAE, AERE MARGGRAFIANO.

Aerthet. 58 m.

DIGESTA TACTIO PRACTICAE  
MEDITATIONES  
GAVSDE  
DE  
**G V A T T V**  
IN LITTERIS PRAECEPTE  
ELEGANTIORIBVS  
EXHIBENS  
GAVSDE  
SACRA ANTIQUITATIS DIGNITATI  
ET  
CONSERVATIONI AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM  
ORDINIS  
LIBERIS ELEGANTIORVM DISCUSSIONUM  
GAVSDE  
**M. ERDM. SIGISM. BASCH**  
SOCIUS AVSTRIAS  
TA  
KONSECRATORIS  
I. IOANNES CHRISTOPH. GREVIAE  
HABITACIONIS  
SOC. PAT. IENENS. COOPER. ORD.  
A. D. MDCCLXII. C. J. P. G. C. C. R.  
LITERAE. AERE MAGGIRALIANO



III

Q. D. B. V.



Cogitanti mihi saepenumero, longeque  
dubitanti, quodnam potissimum dis-  
sertationis argumentum sumerem: ta-  
le tandem mihi eligendum esse videba-  
tur, quod fructuosissimum esse, multorumque rationi-  
bus quam maxime conducere putem. Quod si enim  
tunc et in ipsa argumenti tractatione minus felici, vt  
aiunt, Minerua elaborarem; si in illa non satis apte  
versari et perite possem, neque omnia persequi feli-  
citer: doctissimos tamen quosque viros in hoc mihi ali-  
quid esse concessuros rebar, veniamque mihi quan-

A 2

dam,

dām, argumenti ob foecunditatem, esse datus, arbitra-  
bar instituto operi, si non aequalis foret executio. In-  
ter alia omnia, quae animo se meo offerebant, doctri-  
na gustus maxime mihi arridebat. De gustu igitur pul-  
chritudinis quaedam differere mihi est constitutum.  
Enim vero eius leges atque praecepta, in studiorum  
imo vitae genera omnia, gratiam non solum quamdam et  
ornamentum congerere, verum etiam in omnes eorum  
partes valere, emolumentaque et utilitates inde in ea  
omnia deriuari videntur. Ac me quidem cogitantem  
ratio ipsa in hanc potissimum sententiam dicit, qui exi-  
stimem, et philosophum, si ad vitam illum referimus,  
et oratorem, et poetam, et musicum et pictorem,  
quinimo quemque, parum prodesse ciuitatibus sine  
gusto elegantiae: si vero quisque eorum eisdem exclo-  
luit atque adquisiuit, is mihi et suis et publicis rationi-  
bus utilissimus atque amicissimus ciuis fore videtur.  
Experientia huiusce testis est, et idem historia littera-  
rum docet elegantiorum, quarum in regno quasi cla-  
uum tenet gustus pulchritudinis. Hic vero gustus non  
liberales solum artes, quae singulari quadam eius cura  
traditae esse videntur, suis exornat beneficiis; sed ad alia  
etiam, quae extra eiusdem quasi fines posita sunt, be-  
nefa.

nefacta eius redundant. Philosophiam vtentem iam ante nominauimus. Adeamus vero et regna, et ciuitates et vrbes, num vna vmquam earum floruit, cum ciues adhuc barbari essent, neque gustus praeceptis perpoliti \*). Quantum vero et religioni ab eodem adfluat vtilitatis, aequius quisque rei aestimator ipse videbit. Cur enim haeream, qui adfirmem, gustum fundamenta quasi iacere omnis in virtute decori? Pari enim ratione ac tenerae mentis gustus formatur, supponimus quod alias virtutem colat, sic et per omnem deinde vitam, animus aut magnus, ingenuus, liberalis, excelsusque erit, aut, id si negligitur, imbecillis, angustus, mollis et abiectus. Sumamus hominem, qui vel omni elegantiae gustu caret, vel, si quo gaudet, tamen sit corruptus, quam perdite eius erunt delectationes, oblectamentaque vilissima? An vero vmquam magna quaedam ac praestantiora facta, aut praecipuas et nobiliores quasdam virtutes a tali exspectabimus? Quam prouidus autem

A 3

gustus

\* ) Idem de gustu obtinet, quod de eloquentia CICERO de Inuent. l. I. s. 2. adserit. Quem locum in suos egregie conuerst usus Celeberr. BATTENBERG in eleganti illo tractatu: *Les beaux arts reduits a un meme Principe* Paris 1747. Part. 2. Chap. 3. p. m. 68. sqq.

gustus pulchritudinis sit utilitatum, opportunitatumque omnium in omni vitae genere, eruditissimi qui-  
que \*), iam dudum rationibus confirmarunt exquisitis-  
simis, ut eum nunc quidem summis efferre laudibus at-  
que celebrare superfluum quoddam esse videatur. Quin  
imo ipse se sua utilitate commendat. Et mirandum sa-  
ne, quin dolendum est maxime, eum adhuc, non di-  
cam, habere aduersarios, hoc enim turpissimum foret,  
attamen a quibusdam vilipendi. Sufficient haec, ut,  
quanta argumenti sit dignitas, cognoscatur. Restat, ut  
instituti rationem indicemus. Cum omnis, Cicerone  
teste, quae ab aliqua re suscipitur institutio, a defini-  
tione debeat proficisci; quae gustus notio sit ostende-  
mus. Ad eandem autem declarandam, quaedam de  
pulchritudine, eiusdemque opposito, deformitate,  
erunt praeponenda; ex quibus deinde pro virium te-  
nuitate leges quasdam gustus elegantiae eruere atque  
colligere annitemur.

## I.

\*) Vnum saltem adducere liceat; scilicet Virum S. V. IO. ADOL.  
PHVM SCHLEGEL, praeter alia immortalibus in litteras elegan-  
tiores meritis inclytum, in tractatu primo, quem versioni suae libri  
ante citati celeberr. Batteux subiunxit.



## I.



eritissimi quique iam dudum obseruarunt, eas  
praecipue res, quae in omnium ore versantur,  
semper fere parum cognitas esse atque explica-  
tas. In quarum rerum numerum pulchri et-  
iam venit natura. Omnium quidem sermone celebratur.  
Admiramur illud, si naturam artificem et fabricam illam in-  
credibilem consideramus; poscimus idem in artefactis; attri-  
buimus quoquis fere momento hancce rebus adfectionem, aut  
de ipsis eandem negamus: quod si vero et viros non publici  
saporis interrogamus, quid pulchri sit notio, quidue eius  
natura, in varias saepius omnes partes abire videmus. Plu-  
rimi attamen in eo conueniunt, quod rationes seu relationes  
quasdam in pulchro quolibet esse sumant. Iam vero, cum  
id in omnibus, quibuscumque pulchritudinem largimur, de-  
prehendimus, veram hoc eiusdem esse notam appetit. At  
vero non quaelibet semper relatio seu ratio pulchra esse pot-  
est. Omnes enim alias mathematicorum rationes pulchritu-  
dinis formam induerent. Accedit igitur alterum, necesse  
est, ut rationes, quae pulchrum efficiunt, legitimae,  
sensibus facili negotio cognosci queant. *Pulchrum* igi-  
tur constituitur, rationibus seu relationibus legitimis rerum,  
sensibus facile cognoscendis; et *pulchritudo* ea rei erit adfe-  
ctio,

Etio, vi cuius relationes legitimae in illa ponuntur, sensibus  
facili negotio cognoscenda.

I. Loquendi usum si ex litterarum monumentis repetere insti-  
tuimus: omnes fere, qui hoc sibi argumentum scribendi  
sumserunt, in eo conueniunt, ut rationes quasdam vel  
aperte vel tecte admittant.

Primus, quem scimus, PLATO est de pulchritudine  
scriptor, exempla autem potius adfert pulchritudinis, atque,  
quae non, quam qualis sit, explicat duobus dialogis. Prior  
*Hippiac* maioris nomine innotuit, qui refutationem sophi-  
starum quorumdam continet, atque contra varias pulchri  
explicationes bellat. Alter a *Phaedro* quodam nomen ac-  
cepit, ubi de eo, quo trahimur omnes, pulchri amore agit.

AUGUSTINVS de pulchro et apto librum scriptis sin-  
gularem, uti ab ipso discimus in eiusdem *Confess. lib. V.*  
*Cap. XIII. p. m. 75. T. I. Opp. edit. Benedict.* cuius tamen  
iacturam fecimus; nec supersunt de eo, nisi ideae qua-  
dam, per scripta eius disseminatae, ex quibus adparet, ad-  
curatam relationem partium totius ad se inuicem, quae  
efficit, ut unum illud sit, ex eius sententia, constituere  
pulchrum. Luculentius mentem suam explicauit in *Libr.*  
*de vera religione Cap. XXXII. p. m. 574. T. I.* Itaque si  
quaeram ab artifice, inquit, uno arcu constructo, cur al-  
terum parem contra in altera parte molitur; respondebit,  
credo, ut paria paribus aedificii membra respondeant. Por-  
ro si pergam quaerere id ipsum cur eligat; dicet hoc de-  
cere, hoc esse pulchrum, hos detectare cernentes. Nihil  
audie-

andebit amplius. - - Et prius quaeram, utrum ideo pulchra sint, quia delectant, an ideo delectent, quia pulchra sunt. Hic mibi sine dubitatione respondebitur, ideo delectare, quia pulchra sunt. Quaeram deinceps, quare sint pulchra? Et si titubabitur, subiiciam, utrum ideo, quia similes sibi partes sunt et aliqua copulatione ad unam convenientiam rediguntur. Cet. Et Epist. XVIII. p. 18. T. II. Omnis porro, inquit, pulchritudinis forma unitas est. Et alio loco: pulchritudo est congruentia cum quadam coloris suavitate. Epist. III. pag. 4. Tom. II. Ex superioribus abunde adparet, Augustinum non ut ex recentioribus quidam putare videntur, differentiam pulchri atque deformis ex eo, quod placet et displicet, oriri credidisse. Enim vero ab absolute pulchro ad id, quod placet semper, ab eo autem, quod placet, ad absolute pulchrum similiter colligere non licet; tantum inde pulchritudo subiectiva spectata (infra III.) sequeretur, cui persaepe multum deformitatis inesse potest.

Recentiores si legimus, omnes vel teste relationes ad pulchrum requirunt. Paucos saltem nominare liceat.

Celeberr. crovaz in libro suo: *Traité du beau*, quinque numerat pulchri characteres; *la variété*, *l' uniformité*, *la regularité*, *l' ordre*, *la proportion*. Vniformitatem, si de pulchro barbare loqui licet, ponit in relatione omnium ad eum finem, varietatem igitur inuoluit; in sequentibus vero ipse Cap. III. p. m. 14. de la diversité, inquit, naissent *la regularité*, *l' ordre*, et *la proportion*; quod

B

quod idem est, ac ex illa fluunt. Eius igitur definitio, superflua si demas, cum diuī Augustini definitione paene coincidet.

P. ANDRE' in libro: *Essai sur le Beau*, ordinem atque proportionem, ergo etiam relationes, ad notionem pulchri requirit.

*Autor articuli le Beau* in libro, qui utilitatis vberitate maxime se commendat: *Encyclopedie ou Dictionnaire raisonné Paris 1751. T. II. p. 169. seqq.* pulchrum id appellat, quod in se continet, quod relationis ideam in alio excitare potest.

Alii pulchrum perfectionem sensitiae cognitam, sive sensuum seu phoenomenorum appellant, quod, ut paulo infra luculentius adparebit, etiam relationis ideam continet.

2. Dubito fore, quibus *Anonymi* cuiusdam *Auctoris* libri, *Essai sur le mérite et la vertu*, notio pulchri placeat. Ex eius enim sententia vtile saltem pulchri characterem constituit. Et ut paucis dicam, omne pulchrum metitur emolumentis et commodis. Ea vero ipsa sententia a PLATONE in *Hippia maiore* p. m. 101. Edit. Mars. Fic. iam profixa ac ibidem refutata est atque explosa. Ut plurimum quidem, vere pulchro utilitas est adnexa; non omne vero utile pulchritudine est donatum.

3. Experientia docemur, rationes, quo quaeque facilius sensibus percipi possunt, ut 1:1, 1:2, 1:3, 1:4, 2:3,

$2:5$ ,  $3:4$ ,  $3:5$ , eo magis pulchritudinis speciem prae se ferre, ut ex imaginibus, aedificiis, et re musica patet.

4. Cum diuerso respectu res etiam diuerso se habeant modo, adparet, vnam eamdemque rationem in hoc nexu pulchritudinem efficere posse, quae in alio deformitatem constituit et v. v. Quis enim negabit, in musicis aequa ac si rationem latitudinis fenestræ ad altitudinem eius  $= 1:3$  sumeremus, hancce esse pulchram, si vero eamdem rationem, in determinanda relatione latitudinis conclavis cuiusdam minoris, ad eiusdem longitudinem adhiberemus, deformè istud certe foret.

## II.

Pulchritudo oritur rationibus seu relationibus rerum legitimis sensibus facile cognoscendis. (I) Quod si vero legitima rerum relatio adesse debet, nexus adsit oportet. Hic si adest, in unaquaque earum affectio erit, sine qua altera concipi non potest. Ergo inter sc inuicem vna alterius erit ratio, et unaquaelibet earum rationatum erit reliquarum, scilicet, respectu relationum, quae inter eas inuicem intercedunt. Iam vero dicimus id, si plura vnius rationem continent, consensum. Ergo in pulchritudine consensus partium ad vnum adesse debet. Ergo in pulchro adest perfectio. Et, si pulchritudinem definimus, quod sit perfectio sensibus facile percipienda, relationes in eadem admittimus.

## B 2

## III.

## III.

Relationes, quae pulchrum constituunt, vel in partibus obiecti ipsius inueniuntur, quod *pulchritudo in se talis* appellatur, vel obiecto illae respectu aliarum extra se positarum rerum conueniunt, haec *respectiva* audit. Deinde relationes hae spectari possunt, quatenus in obiectis existunt, vel quatenus a cogitante animaduertuntur. Hanc *subiective*, illam *obiective* spectatam pulchritudinem nominare liceat. Pulchritudo varia adhuc nomina ab iis, quae exornat, obiectis accipit. Si relationes in operibus naturae sensibus facile percipiendas perimus, *pulchrum* dicitur *naturale*; in actionibus liberis, *pulchrum morale*; in artefactis, *pulchrum artificiale*; in sonis, *pulchrum musicum*; in representationibus, operum vel naturae vel artis, *pulchrum imitationis*. Paucis in quoquis obiecto illud considerabimus, et quocumque modo relationes obseruabimus, pulchri nouae semper species orientur.

1. *Pulchrum in se tale atque obiective spectatum, semper eadem manebunt, etiamsi, qui obseruaret ea atque admiraretur, haberent neminem.* Pulchrum autem respectuum, itemque subiectuum, ratione cogitantis, et augeri possunt et minui, etiamsi ex parte verum ferat de iis iudicium, pro eo ac gaudet gradu cognitionis.
2. *Cum ut reliqua omnia sic et pulchra sint in nexu, pulchra in se talia, simul respectuum admittunt pulchritudinem.*
3. *Pulchrum imitationis et ideo quidem notatu dignum vide-*  
tur,

tur, cum rebus pulchritudinem largiatur, quae in se illam  
admittere prorsus non videntur. Omne enim bene imita-  
tum atque perfecte, gratum acceptumque et pulchrum co-  
gnoscenti esse videtur, licet et horridum sit. Quod et **A R I-**  
**S T O T E L E S** *Rhet. L. I. Cap. XI.* iam obseruauit. Enim  
vero mala ac periculi metus, quae reuera talia si videmus,  
illa comitantur, euanescent, si imitata cernimus. Praelia  
e. c. sanguinolenta omnem sane pulchritudinem in se spe-  
ctata fugant, sed si tabulis ea aut descriptione poetica bene  
imitata videmus, pulchritudinem certe accipiunt. Et palli-  
da mortis imago hac ratione pulchritudinem admittere pot-  
est. Legas quaeso elegantissimam mortis, qua Dido periit,  
descriptionem **VIRG.** *Aeneid. l. IIII.* in fine. Eam ipsam  
ob causam Tragoediae pulchritudo nobis placet, licet, vt  
vim lacrymarum profundamus, saepe nos adigat. Hoc  
autem imitationis pulchrum a relationibus, quae ei cum re-  
praesentato intercedunt, et quas sensibus facile adpercipi-  
mus, quam ab obiecto ipso magis originem ducere videtur.

4. Quot sunt nexus, in quibus obiectum quoddam ratione pul-  
chritudinis considero, tot eius pulchritudinis relatiuae sunt  
vicissitudines. Quanto vero nexus est maior, ratione cuius  
pulchritudo entis cuiusdam relativa obtinet, eo difficilior  
haec est pulchritudo ad diiudicandum.

## III.

Perfectiones quaedam praecipuae sunt, quas pulchrum  
admittit. Prima, quae quasi est fundamenti loco, est eiusdem

B 3

veritas.

*veritas.* *Magnus ille pulchri aestimator SOILEA V,* inquit,  
*Rien n'est beau que le vrai, le vrai est seul aimable,*  
*Il doit regner par tout et même dans la fable.*

Efficitur autem conuenientia relationum, quae pulchrum ponunt cum obiecto, quatenus sensibus cognosci potest. Quod illa autem pulchri sit perfectio, re ipsa patet. Enim vero si relationes obiecto prorsus non conueniunt, quo quaeſo modo ab illis pulchritudinem accipere potest. Necesse est, ut pulchrum generatim sit, vti Crassi oratoris sententiae, de quibus C. CERO Orat. l. 2. dicit, *tam integrae sunt, tam verae, tam nouae, tam sine ſegmentis fucoque puerili.* Exempli loco verba quae-dam summi iſtius Italorum Poëtae TASSO dicti, erunt. De Argante quodam, quem ferocem eſſe ſumit, et cui ab alio plagaſ inflictæ erant mortiferae, de eo, inquam, iam morti proximo dicit:

*Minacciava morendo, e non langua.*

Audiamus Autorem in his rebus versatissimum libri, *la Maniere de bien penser dans les ouvrages de l'esprit*, quem Cel. BOVHOVR eſſe nouimus, de hoc loco: *Ie consens, inquit, qu'il le (qui eum vulnerauerat) menace, et même, que ses derniers gestes, que ses dernières paroles, ayant quelque chose de fier, de superbe et de terrible, cela convient au caractere d'Argant: Mais de n'être point foible lorsqu'on se meurt, E NON LANGVIA C'est ce qui n'a point de vraisemblance.* Deinde, *LE NON LANGVIA qui va au corps, exemte Argant de la loi commune, et detruit l'homme en elevant le heros.* Idem ipsum obtinet

de

de ornamentis aedificiorum: quodsi enim supra portam opificis honesti pyrobolum flammantem positum videmus: necesse nonne erit adiiciamus: *Risum teneatis amici!* Omnis enim veritas huic pulchritudini deficit, quae enim quaeso relatio intercedit opifici cum pyrobolo.

Notandum tamen est falsa quaedam veritatis quasi ciuitate esse donata. Scilicet intellectu etiamsi falsa viderentur, tamen sensibus neque falsi quid, neque absconi heic obseruari potest, e. c. VIRGILII descriptio venientis aurorae:

*Oceanum interea surgens aurora reliquit.*

etiamsi in se vera non sit, tamen sensibus verum esse videatur. Sunt et falsa quaedam, in quibus veritas later, quam imagines celare videntur, per quas autem uti per calanticas et pepla pellucida videre possumus, quae tegunt. Huc pertinet e. c. Fabula, Metaphora, Allegoria, Aequiuocatio, Hyperbole cert. cum falsum in iisdem nos quasi ad verum ducit. In hoc ait SENECA de benef. VII. 23. hyperbole extenditur, ut ad verum mendacio veniat. Sin autem veritas ipsis nulla inest, prorsus erunt reiicienda. Hyperbolis exemplum MARTIALIS suppeditet l. XI. inquit

*Mentitur, qui te viciosum, Zoile, dixit,  
Non viciosus homo es, Zoile, sed vitium*

Maximum vitii gradum eo indicaturus. Vnaquaeque eorum suas habet leges, quibus obseruatis locum habere possunt.

V. Pul-

V.  
Pulchrum quoad omnes, quaecumque sint, relationes  
verum veritatem habere dicitur exactum. ad aquatam (*la iustesse*), Excellentiss. MEIER, cuius institutione quondam forma-  
ri et mihi felicissime contigit, ob defectum exactae huius veri-  
tatis, finem Odes in *Ludouicum XIII* a Cel. MALHERBE con-  
fectam taxat, verba haec sunt:

*Prens la foudre, Louis, et va comme un Lion*

*Donner le dernier coup a la dernière tête de la rebellion.*

Leo cum fulgure non exactam habet veritatem, quae adesset,  
si leonis loco Aquilam elegisset. A Rhytmo autem seductus  
veritatem neglexit exactam. Alia pulchri perfectio, quae  
praecipue pulchra imitationis spectat, est, quod habeant con-  
uenientiam cum eo, quod imitandum sibi sumserunt; quod  
cum ut plurimum sit ex vniuersi natura, haec conuenientia  
*naturale pulchri, seu pulchrum imitationis naturale* adpellari  
consuevit. Eo maius illud est, quo minus aegre quae situm  
nec longe repetitum, sed ab ipsa obiecti natura natum quasi  
esse videtur. Tunc demum teste LONGINO Sect. VIII.  
perfecta est ars, cum naturam ita exprimit, ut natura ipsa esse  
videatur. Nonne Polyphemum ipsum videre credimus VIR-  
GILII *Aeneid. III.* descriptionem legentes:

*Monstrum borrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum.*

*Et labores Cyclopum narrans Aeneid. VIII. et Georg. IIII.*  
eosdem audire credimus.

*Gemit impositis incudibus Aetna:  
Illi inter se magna vi brachia tollunt,  
In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum.*

Naturalis pulchri exempla Excell. GELLERTI scripta, qui decus et ornamentum et aevi nostri est et patriae, in quauis fere pagina suppeditant. Quemuis sane legentem mihi iratum redderem, si eius exempla, quasi ipsi ignota adiicere vellem. Naturale pulchri, seu pulchrum imitationis naturale, si simplicitatem continet atque simul signis simplicibus notatum est, exhibet, *pulchrum natuum, simplex, ingenuum, αφελειαν* (*le naïve*) Ipsa *αφελεια* simplex et inadfectata, habet quemdam purum, qualis etiam in foeminis amatur, ornatum. *Quint. L. VIII. C. III.* Ille elegantiarum omnium pater **HOMERVS**, vti Cassaubonus eum appellat, etiam huius exempla nobis suppeditat *Iliad. VI. 465. seqq.* Hector valedicens Andromachae, finito ad illam sermone porrectis manibus petuit filium Astynacta puellum

*Αψ. δ' ο παις προς κολπον ευζωνιο τιθηνε  
Εκλινθη ιαχων πατερος Φιλου οψιν ατυχθεισ  
Ταεβησας χαλκον τε ιδε λοφον ιππιοχαιτην  
Δεινον απ ακροτατης καιρυθος νευοντα νοησας. ceter.*

*Retro autem puer ad sinum eleganter cinctae nutricis  
Inclinatus est clamans, patris sui adspectum exborrescens,  
Timens aesque et cristam setis equinis horridam,  
Horrendum a summa galea, nutantem visam.*

C

Huc

Huc pertinet etiam Dialogus ille gallicus viatorem inter et turturem.

*Le Passant.*

*Que fais tu dans ce bois plaintive Tourterelle?*

*La Tourterelle.*

*Je gemis, j'ai perdu ma compagne fidelle.*

*Le Passant.*

*Ne crains tu point que oiseleur.*

*Ne te fasse mourir comme elle.*

*La Tourt.*

*Si ce n'est lui, ce sera ma douleur!*

I. Ut pulchritudo exacte vera sit atque adaequata, ratione etiam signorum, monendum esse videtur, signa esse debere signatis adaequata et proportionata. Ad hoc MALHERBE in poemate de Poenitentia Petri non satis animum attendit, inquiens.

*C'est alors que ses crisen tonneres s' éclatent  
Ses soupirs se font vents qui les chênes combattent  
Et ses pleurs qui tantot descendoient mollement,  
Resemblient un torrent, qui des hautes Montagnes  
Ravageant et noyant les voisines campagnes,  
Veut que tout l' Univers ne soit qu'un élément.*

Inde etiam appareat, quantum gustus corrupti prodant, qui scribendi rationem, seu stylum distinguere nesciunt. Iisdem phrasibus quidam nostratum oden quamcunque, qua morgem forsan cuiusdam honesti lugent, ornare audent,

quac

quae in carmine heroico locum saltem habere possent.  
Obseruent quaeſo QUINTILIANI regulam, qui verba talia  
eſſe praecipit, vt ſenſibus inhaerere videantur, atque ut  
vmbra corpus ſequi.

2. Caucas, ne veritatem pulchri exactam quaerens nimis subtileſſis cuadas.
3. Naturale pulchri a pulchro naturali eſt diſtinguendum.

## VI.

Alia pulchri perfeſtio ex eo oritur, ſi multitudinem relationum in ſe continet: quae *vbertas*, *copia* pulchri audit. Pulchri hanc eſſe perfectionem vel inde appetet, cum hinc oriatur varietas in pulchro, qua nos omnes delectari ſcimus, cum nouas inde pulchrum ſaepe induere formas videtur. Quo plures igitur relationes pulchrum in ſe continet; et ad quo plures res relationes eius ſe extendunt, eo maior eius erit vbertas. Horti e. c. penſiles Semiramidis, quos PLINIUS l. XXXVI. 14. inter mundi admiranda recenſet, maiorem ſane pulchritudinem continuere, ac hortulus pagani cuiusdam. Pulchra imitationis, ſi vbertatem ſpectamus, mendo quodam praecipuo ſunt obnoxii, quod prolixitas audit, ſcili- cet, ſi in euoluendis relationibus omnibus nimis adcurati atque ſtudioſi ſumus. Id ipsum eſt, quod BOILEAU l. Art poet. Chant L. v. 49 - 63. taxat:

*Un auteur quelque fois trop plein de ſon objet,  
Jamais sans l'epuifer n'abandonne un ſujet,*

S'il rencontre un palais, il m'en depeint la face,  
 Il me promène après de Terasse en Terasse;  
 Ici s'offre un perron; là regne un Coridor;  
 Là ce balcon s'enferme en un balustre d'or.  
 Il compte des blafonds les ronds et les ovales,  
 Ce ne sont que festons, ce ne sont qu'astragales;  
 Je saute vingt feuillets, pour en trouver la fin;  
 Et je me sauve au peine à travers du jardin.  
 Fuyés de ces auteurs l'abondance sterile,  
 Et ne Vous chargés point d'un detail inutile  
 Tout ce qu'on dit de trop, est fade et rebutant,  
 L'esprit rassasié le rejette à l'instant,  
 Qui ne sait se borner, ne sut jamais écrire.

Inde cuilibet, qui pulchrum imitationis efficere vult, et parsimonia aesthetica et laudabilis breuitas eiusdem se commendat. Quarum prima tot saltem admittit relationes pulchri euoluendas, quae, ut splendore suo luceat, sufficiunt; altera de omnibus illis relationibus tacere iubet, quae sine totius detimento abesse possunt.

*Ne gemino bellum troianum ordiatur ab ouo.* HORATIVS  
 art. poet.

Idem alio loco hanc ponit legem:

*Quidquid praecipies, esto breuis, ut cito dicatur.*  
*Percipient animi dociles, teneantque fideles.*  
*Omne superuacuum, pleno de pectore manat.*

VII.

## VII.

Tertia pulchri perfectio eo efficitur, si magnas continet relationes, id est, quatenus relationes in se spectatae multa in se continent varia. Haec magnitudinem pulchritudinis constituit. Magnae hae relationes vel sunt proprius in nexus cum virtute, vel minus; hoc magnitudinem naturalem, illud moralem seu dignitatem pulchri sistit. Naturalis adest magnitudo pulchri e. g. VIRG. Aeneid. V. v. 421. seqq. cum

*Entellus*

*duplicem ex humeris reiecit amictum  
Et magnos membrorum artus, magna ossa lacertosque  
Exuit, atque ingens media constitit arena.*

Dignitatis exemplum HORATIVS praebet, Ode III. Libr. III.

*Iustum et tenacem propositi virum,  
Non ciuum ardor prava iubentium,  
Non vultus instantis tyranni,  
Mente quatit solida: neque Auster  
Dux inquieti turbidus Adriae,  
Nec fulminantis magna Iouis manus:  
Si fractus illabatur orbis,  
Impavidum ferient ruinae.*

In magnitudine naturali tres praecipue obseruantur gradus. Sunt quaedam obiecta, quae infimum fere magnitudinis gradum continent, et adpellantur *res tenues*. Alia maximum magnitudinis gradum ostendunt, et sunt *res excellenter magnae*, quae media inter haec incedunt via, *res mediae* vocantur. Tria

C 3

haec

haec Bucolicis Aeneide et Georgicis Virgilii illustrari consueverunt, vel etiam versibus hisce Maronis:

*Non omnes arbusta iuvant humilesque myricae,  
Si canimus sylvas, syluae sint consule dignae.*

Vbi humiles myricae rurales, arbusta medias et syluae excellenter magnas res notant.

Dignitatis gradus ex virtutis gradibus metimur, cum quibus est connexa. Minor adest, si cum simpliciter honesto viuendi genere connectitur. Maior, si cum nobili viuendi ratione, maximus, si cum virtutibus heroicis coniuncta est. Maximus gradus magnitudinis pulchri sicut pulchrum sublime. Dum de sublimi loquor, quilibet sane verba M OSIS in creationis historia Gen. I. 3. dixit Deus: *Esto lux, et fuit lux:* in memoriam reuocabit. Huc etiam pertinent Psalm. XVIII. 8 - 16. Et si idolum hic iungere licet, de Ioue VIRGILIVS sublimia satis fatur Aeneid, X. v. 115.

*Adnuit et totum nutu tremescit Olympum.*

I. Ratione pulchri imitationis obserues; si sublimē quoddam efficere animus est: omnia fugias longe quaesita ornamenta, et ad naturale pulchri quam maxime animum attendas. Praecipue si in re, vbi animi sunt affectus mouendi, versaris.

Sententiola flendum erit? Q VINTIL. L. XI. Cap. I. Antithesis apud veteres interdum in sublimi adhibitam videamus. Exemplum Alexander respondens Parmenioni praebet



bet. **CVRTIUS** IIII. II. et ego, inquit, pecuniam quam gloriam mallem, si Parmenio essem — me non mercatorum memini esse, sed regem.

2. Vitium, quod sublimis causa pulchrum imitationis necesse est, vitet, est *tumor*, qui inanem sublimitatis speciem praefert, in se vero falsa continet. Hoc de vitio **HORATIVS** loquitur in *Art. poet.*

*Dum inquit, vitat humum, nubes et inania captat.*

Vitii huius **MALHERBE** recte adiudicatur, dum de *Ludo-*  
*wico XIII.* dicit:

*Est ce que sa valeur, a fait en deux Etez.*

*Alcide l'eut il fait en deux siecles de vie.*

Forsitan et inter nostrates huc illuc Lohensteinii haeredes ad huc reperimus; optandum sane foret, ut verae quilibet laudis, qua Ciceronem exornat **QVINTILIANVS**, gestum haberet: *Non supra modum*, inquit, *elatus Tullius l. XII. 18.*

### VIII.

Quarta pulchri perfectio est eiusdem *viuiditas* s. *per-*  
*spicuitas* et *lux*, quae efficitur claritate extensua maiore, relationum sensibus facile cognoscenda, quae claritas extensio maior ex multiudine notarum in pulchri relationibus oritur. De pulchro in genere valet, quod de eloquentia **QVINTILIANVS** L. II. c. 3. adserit. *Prima est eloquentiae virtus per-*  
*spicuitas.* **VIRGILIUS** Aen. L. I. 406. lucis huius exemplum suppeditat, Venerem pingens.

- - Aver-

*Avertens rosea cervice refluisit,  
Ambroseeaque comae divinum vertice odorem  
Spiravere, pedes vestis defluxit ad imos,  
Et vera incessu patuit Dea.*

I. Pulchra imitationis hancce lucem ab autoribus  
eo magis accipiunt, quo magis, qui eas effecit, de facien-  
dis claras habuit ideas.

*Ce que l'on concoit bien s' enonce clairement,  
Et les mots pour le dire arrivent aisement.*

BOILEAU art. poet. v. 153. Idem QUINTILIANVS testa-  
tur: Plerumque, ait, accidit, ut faciliora sint, ad intelli-  
gendum et lucidiora multo, quae a doctissimo quoque di-  
cuntur: addemus, et quae a peritissimo quoque artis effi-  
ciuntur. Cum porro secundum tritum illud opposita iuxta  
se posita magis elucescant, adparet, iisdem pulchro lucem  
affundi posse; inde, quantae periodi contrariae orationi sint,  
pulchritudini colligi potest. Melius sane ac in *Magnif.*  
et *Excell. WALCHII*, in qua Tullii et linguam et eloquen-  
tiā vñitas videmus, *oratione seculari*, exemplum vix in-  
uenies. Adiacentes regiones cum vrbe et Academia nostra  
comparans, dicit: *Illinc Mars impius caedem anhelans*  
*et furens ad cruentissima mortis spectacula inuitat; hic mu-*  
*sarum alumni ad aras et templā ad suauissimas pacis ar-*  
*tes vocantur: illinc clamor castrensis omnium circumso-*  
*nat aures, et classicum palpitantem ciuis animum nouo pa-*  
*nuore percutit; hic festiva hilaritas et sumtuosus nouae et*  
*numquam antea visae ceremoniae adparatus mentes re-*  
*creare*

*creare omnes et spiritus solito maiori animare videtur;  
illinc lamentantium et morientium suspiria, hic adclaman-  
tium et congratulantium voces audiuntur: ceterum.*

2. Lucem pulchritudinis effecturus vitet fucum aesthe-  
ticum, seu affectatam viuiditatem. OVIDIUS in pernoto  
illo versu:

*Adspicis exsangui ebartam pallere colore.*

huius vitii reus est. Forsan et PLINIVS IVN. ep. VI. lib. V.  
in eleganti illa Tusci sui descriptione in idem incidit, dum di-  
cit: *A tergo Apenninum sed longius habet; accipit ab hoc au-  
ras quamlibet sereno et placido die, non tamen acres et  
immodicas, sed spatio ipso lassas et infractas.*

### VIII.

Quinta pulchri perfectio oritur ex vera perspicuitate,  
seu, si vero aesthetico circumfunditur lux, atque dicitur eu-  
identia. Exemplum eius in initio statim Artis poet HORATII  
legimus, absconum esse poema, si unitas ei deficit, hac ratione  
probat:

*Humano capiti ceruicem pictor equinam  
Iungere si velit, et varias induere plumas,  
Vndique collatis membris, ut turpiter atrum,  
Desinat in piscem, mulier formosa superne.  
Speciatum admissi, risum teneatis amici.  
Credite Pisones, isti tabulae fore librum  
Persimilem, cuius velut aegri somnia vanae*

D

Iun..

*Iunguntur species, nec ut pes, nec caput uni  
Reddatur formae.*

Ratione evidentiae in pulchro imitationis euites et fūcūm et siccitatem, seu absentiam viuiditatis. Fuci olim concionator quidam gallicus reus erat, dicebat: *Les jeunes gens meurent quelque fois avant les personnes agées, comme Jean courut plus vite au sepulchre que Pierre.*

## X.

Vltima denique pulchritudinis perfectio *vita* est pulchri, quae obtinet, si pulchrum facultatem appetitiuam inferiorem mouere valet. Ea perfectione gaudet Didonis ad Aeneam oratio, qua illum flagrat, ne ipsam deserat, *Aeneid. IIII. 305. sqq.*

*Dissimulare etiam sperasti, perfide, tantum,  
Posse nefas? Tacitusque mea decadere terra?  
Nec te noster amor, nec te data dextra quondam,  
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?  
Mene fugis? Per ego has lacrumas dextramque tuam, te  
Quando aliud mihi iam miserae nihil ipsa reliqui!  
Per connubia nostra, per inceptos bymenaeos,  
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quidquam  
Dulce meum! Miserere domus labentis et istam  
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.*

Hinc pulchrum imitationis effecturus, talia eligat obiecta, quae aut bonum pollicentur, aut mala minantur, aut saltem talia esse videntur.

## XI.

## XI.

Quo verior, vberior, maior, dignior, lucis, euidentiae ac vitae plenior est res, quae relationes sensitiae facile cognoscendas continet, eo maior eius erit pulchritudo.

## XII.

Pulchritudinis oppositum est *deformitas*; hinc opposita ratione declaranda, et oritur ex absentia relationum legitimarum, sensibus facile cognoscendarum. Et, si dicis, eam esse imperfectionem sensibus adperceptam, etiam absentiam relationum admittis. (II.).

Cum nihil ex omni parte in vniuerso omnium expers sit relationum, adpareret, nihil ex omni parte esse deformem.

## XIII.

Eadem deformis esse possunt, ac pulchri diuisiones. Erit *deformitas in se talis*, et *respectiva*, *obiectiva*, et *subiectiva* (III). Ratione obiecti deforme erit *naturale*, quod ex errore naturae quasi natum esse videtur, *artificiale*, *musicum*, *moraile*, et *imitationis* (§. cit.).

Dissonantiam in musicis, seu sonorum discrepantiam in se spectatam, deformitatem adpellare non dubito, numquam enim relationes sensibus facile percipiendas exhibet; quod autem vulgo ad pulchritudinem musicam referatur, ex varietatis studio deriuandum mihi esse videtur. *Reficit animos, ac reparat varietas*, QUINT. L. XII. Praeterea, si, vt musici loqui amant, dissonantia in consonantias legitimate resoluitur, relatiuae pulchritudinis nomine donari posse videtur (I. 4.). Vti umbra per se imaginis pulchritudi-

nem non constituit, sed adest, quo magis id, quod est illuminatum, existare atque eminere videatur.

## XIII.

Vitia quaedam, quibus gradus deformitatis atque maior semper absentia pulchritudinis efficitur, perfectionibus pulchri opposita sunt. *Falsum defectu veritatis oritur (III.). Omnis prorsus pulchritudo eodem cessat. Quid enim magis absonum foret, ac si quis*

*Delphinum syluis adpingit, fluctibus aprum. HORAT.  
arte poet.*

Deinde ex defectu vertutis venit paupertas, inopia, angustiae. Quo pauciores igitur obiectum continet relationes, eo magis a pulchro decadens ad deformitatem accedit.

## XV.

Absentia magnitudinis naturalis, obiecta in numerum nugarum vere talium atque ineptiarum veniunt. Causas tamen, ne satyras atque generatim, quaecumque ironice efferuntur, etiam si circa obiecta minora versentur, ad nugas referas. Magnae enim ibi atque res arduae saepe minoribus celantur. Dignitatis oppositum est vilitas, levitas, abiectionem. CATULLI, TIBULLI et PROPERTII scripta hoc scatent vitio. Sublimis oppositum est repens, seu maximus gradus ineptiarum et abiectionis. Obscuritas porro fugat pulchritudinem, et ex absentia perspicuitatis oritur. Obscure cogitans,

tans, obscuritatem euitare in pulchro inuitationis nescit. Nimis longe quaesitae imagines, et comparationes, eaedemque nimis, praecipue diuersi generis, cumulatae saepius camdem efficiunt. Ut e. c. Gallus quidam aedificia irregularia soloecismos in lapidibus adpellauit. De cumulatis similibus QUINTIL. L. VIII. c. 6. loquitur: *Vt modicus, ait, atque opportunus translationis usus illustrat orationem, ita frequens obscurat, continuus vero in allegoriam et aenigma exit.* Evidentiae defectus sicut ambiguum, anceps, dubium et incertum. Defectus denique vitae pulchritudinis sicut inertiam, mortem.

Caveas, ne ab eo, quod tibi obscurum videtur, ad absolute obscurum colligas, nomen e. c. quod in satyra VIII. BOILEAU Alexandro dedit:

*Ce fougueux l' ANGELY, qui de sang alteré  
Maitre du monde entier, s'y trouvoit trop serré.*

nemo intelliget, qui nescit, Angely nomen esse sannionis cuiusdam Gallici. In genere autem e pulchri natura adparat, id, quod maiori pulchritudinis gradu gaudet, et quod etiam in minoribus sui partibus magnam prae se fert pulchritudinem, difficilius esse ad dijudicandum, cum plurimae ibidem adsunt relationes, quas uno quasi obtutu animaduertere non omnibus datum est. Inde fit. ut, pro ratione gradus cognitionis animaduentis, pulchrum quoddam magis clarum et evidens, et opposita ratione obscurum, inuolutum, et tectum, hinc deformē esse videatur.

## XVI.

Quo falsius, angustius, ineptius, abiecius, obscurius, evidentiae et vitae magis expers, obiectum quoddam est, eo maior eius erit deformitas.

Si deforme imitationis spectamus, signa etiam iacens veniunt, quae eius deformitatem augere possunt.

## XVII.

Diiudicare est, comparare varia rerum cum regulis perfectionum. Quod fit vel ope rationis vel sensuum; hinc vel distincte vel confuse. Diiudicatio ergo rationis cognoscit perfectiones et imperfectiones rerum. Dicudicatio autem sensuum pulchrum et deforme cognoscit ( II.). Facultas res sensitiae diiudicandi est *gustus, sapor*, qua animae facultas consideratus.

## XVIII.

*Gustus* est *naturalis*, qui ab ineunte statim actate adest, quique nobiscum nasci videtur; studio autem et usu perpolitus atque emendatus adpellatur *adquisitus*. *Gustus* porro est vel *theoreticus*, vel *practicus*; ille cognitionem saltem regularum, quibus pulchrum et deformem metimus, habet; hic autem hisce vtens regulis, pulchrum efficere annititur. Diiudicatio vel *vera* vel *falsa* esse potest. Idem de gustu obtinet. Habitus veras ferendi sensitias diiudicaciones, est *gustus purior, sapor non publicus*; habitus vero easdem erroneas ac falsas ferendi dicitur *gustus corruptus*. *Gustus* plurium eodem tempore viuentium, *gustus* dicitur *praedomi-*

*dominans; habitus obiecta ad vsque minores partes sensi-  
tiue diiudicandi, gustus audit delicatus.* Varia et ab obiectis,  
quae ad diiudicandum sumit gustus, accipit nomina. Inde,  
quid sit *gustus moralis, musicus, cet. adparet.*

i) Vox *gustus* et latiori et strictiori significatu accipitur. *La-*  
*tiori* sensu est sensatio quaelibet, quam perceptis pulchro  
et deformi habemus. *Strictiori* significata est facultas sen-  
satiue diiudicandi eadem: posteriorem sensum nunc admit-  
timus. Vterque ex usu loquendi constat. De ambobus  
loquitur Cel. TRVBLET in libro, qui autoris certe no-  
men ab obliuione semper vindicabit: *Essais sur divers su-  
jets de litterature et de morale T. III. p. m. 139.* dicit:  
*En général il y a bien de la différence entre un défaut et  
un désagrément, entre les iugemens que nous portons des  
chooses et les sentimens que nous éprouvons à leur occasion;  
en un mot entre le gout considéré comme iugement d'ap-  
probation ou d'improbation, et le goût considéré comme  
sentiment de peine où de plaisir.* De *gusto strictiori* signi-  
ficatu saltem adducere liceat Celeberr. ROLLIN in libro:  
*de la maniere d'enseigner et d'étudier les belles lettres,*  
qui doctissimis quibusque viris probatur T. I. p. m. 56.  
*Le gout, inquit, par rapport à la lecture des auteurs et à  
la composition est un discernement délicat, vif, net et pre-  
cis de toute la beauté, la vérité et la justesse de pensées,  
et des expressions, qui entrent, dans un discours. Il di-  
singue ce, qu'il y a de conforme aux plus exactes biense-  
ances, de propre à chaque caractère, de convenable*

aux

aux differents circonstances. Et pendant, qu'il remarque par un sentiment fin et exquis les graces, les tours, les manieres, les expressions, les plus capables de plaire; il appercoit aussi tous les defauts qui produisent un effet contraire, et il demeure en quoi precisement consiste ces defauts, et jusqu' ou il s' ecartent de regles severes de l'Art, et des vraies beautes de la nature.

2. De gustu naturali CICERO loquitur in *Bruto* suo: Numquam, inquit, de bono oratore, aut non bono doctis hominibus cum populo dissensio fuit. Huius enim ad diiudicationem gustus sufficit naturalis. Gradus vero, in quo orator bonus vel minus bonus est, ex regulis pulchri determinare, hoc gustus erit adquisiti.

3. Gustus, qui et minimis deformitatibus offenditur, est *minus delicatus* seu *mollis*, qui species est gustus corrupti.

## XVIII.

Trium praecipue, ut facultates inferiores omnes, sic et gustus capax est perfectionum. Vna est *extensio gustus*, quatenus multarum rerum, multas pulchritudines atque deformitates diiudicare potest. Altera *intensio*, quatenus maiores pulchritudines verius ac facilius diiudicare valet. Tertia denique *potensio*, quatenus diiudicationes per longius temporis interuallum continuare potest. Porro, cum in gustu adsit cognitio (XVII.); sequitur, quo *plures*, *maiores*, *digniores* res, quo *vberiores*, *maiores*, *digniores* earum pulchritudines, quo *plures* et *minores* deformitates, *verior*, *viuidior*, *certior* atque *vitae plenior* diiudicare valet, eo maior eius erit perfectio.

## XX.

## XX.

Gustum itaque perfectiorem adquisiturus, sequentia attendat necesse est:

I. Tot tantasque res diiudicet, quantum ab ipso et in se et physice et moraliter fieri potest. Hoc enim gustus augetur extensio (XVIII.). Ex hoc ipso adparet, res, quae saltem rationis iudicium agnoscant; deinde, ad quas facultas diiudicandi iudicantis ipsius non sufficit; denique, quarum diiudicatio obligatione quadam maiori impeditur, in diiudicandarum, de quibus hic loquimur, numerum venire non posse. Reliquas res omnes ad diiudicandum sumit gustus. Quum vero et maxima possibilis gustus extensio sit limitata; adeoque non omnia, quae ei se offerunt, obiecta eodem gradu diiudicare valeat; necesse est, ut quisque ex his sibi delectum faciat. Praecipue igitur eas diiudicet res, cum quibus maxime occupatur, et quae cum iisdem maximo sunt in nexu. Hoc, si iudicantem spectamus gustus sui, vocatur *territorium*; quod autem in tantum augendum est, in quantum eiusdem diiudicandi vis, atque officia, obligationesque eius permittunt. Territorii finibus rite constitutis ex iisdem deinde gradus, quem ad alias res diiudicandas adhibere debet, determinatur, quo proprius enim adiacent, id est, quo magis cum iisdem sunt in nexu; aut ad eas diiudicandas faciunt, eo maior gradus, quem in iis collocare debet, erit diiudicationis. Ut ve-

E

ro

ro gustus iudicia exercere queat, et facultatem diiudicandi ipsam et reliquas, quae eandem sustentant, animae facultates exerceat necesse est.

Duo praecipue hic sunt vitanda: Primum: ne nimis longe ultra suos quisque transeat fines, alias forsan erit admonendus, ut faber ille a Strabonico, cum eodem de re musica certante: *nonne sentis te ultra mattheum loqui?* Alterum, ne finibus nimis arctioribus se circumscribat.

## XXI.

**II.** *Maximas, quantum et in se, et physice et moraliter ab ipso fieri potest, diiudicet res.* Enim vero cum omnia diiudicare non valet, ex iisdem maiora et digniora semper eligat. Hinc ad excellenter magnas, quam ad imedias magis semper attendat, mediasque pluris aestimet tenuibus (VII.). Idem quoad gradus dignitatis tenendum (§. cit.). Multum hoc facit, ut intensio gustus obtineatur (XVIII.).

Haec obseruantes nobismet ipsis cauebimus a ridicula sane minutiarum sectatione; neque minoribus occupati maiora negligemus, id est, *studiosi minutiarum (les esprits de bagatelle)* erimus.

## XXII.

**III.** *Omnibus in obiectis, tot tantasque, maioresque semper diiudicet pulchritudines et minores deformitates, quantum ipsi et in se, et physice, et moraliter est possibile.* Ad varia igitur eorum-

eorundem attendat, itemque ad nexus eorum, ad con-  
fectoria et fines. Praecipue vero animum attendat, si in re-  
bus versatur, quae intra eius iacent territorium (XX). Dein-  
de si in obiectis maioribus (VII.) occupatur. Haec obser-  
uata extensionem gustus augent (XVIII.), itemque eundem  
efficiunt delicatum (XVIII.). Vitet gustum nimis delicatum  
(XVIII. 3.).

III. Pulchritudines atque deformitates *vere* dijudicet.  
Hinc ne quidquam finitorum omnibus numeris pulchrum et  
absolutum, neque eorum quidquam ex omni parte defor-  
me esse putet; neque in iudicando sit praecox, qui ob-  
iectum aut pulcherrimum aut maxime deforme sui generis  
credat; neque rei, quae maiores habet pulchritudinis per-  
fectiones, minorem eorundem gradum tribuat, et v. v.  
Iustus et aequus sit rei aestimator. Hoc autem ut fieri pos-  
sit, leges pulchri, quod quisque dijudicandum sumit, sciat  
necessè est: atque in genere cognitionem adquirat, distin-  
ctam et completam de multis rebus, quod multum eum  
adiuuabit, ut individua et species, quae sub iisdem conti-  
nentur, rite auxilio gustus dijudicare possit. Ut veritatem  
in gustus iudiciis adquirat, vitet erroneas de pulchro et  
deformi notiones, praeiudicia falsa, errores experientiarum,  
praecipitantiam in iudicando, animi denique motus, men-  
temque repetundis adsuetam litibus. Omnia haec praeci-  
pue obseruet circa obiecta, quae intra eiusdem territorium  
posita sunt (XX.). Veritas dijudicationis ad intensionem gustus  
facit (XVIII.).

1. Ne vñquam sibi persuadeat, gustum prædominan-  
tem (XVIII.) esse vel ex omni parte verum, vel in totum  
falsum. In rebus grauioribus eundem falsum præsumat,  
donec constet contrarium. In rebus autem leuioris momen-  
ti eundem verum esse admittat, ne in suspicionem studio-  
*si minutiarum (l'esprit de bagatelle) incurrat (XXI.Schol.).*

2. Fieri potest, ut duo de eodem obiecto diuersa fe-  
rant iudicia, quae et vnum et alterum veritate gaudent,  
cum obiecta sub diuersis relationibus considerarunt.

3. Ad præiudicia falsa præcipue pertinent:

1. Si quod iudicanti placet aut displaceat, pro pulchro  
aut deformi habet. Fieri enim potest, ut, res  
ei placeat ex erronea cognitione, vel ut consuetu-  
dine longiori et moribus aeuī sui seductus deformē  
quoddam pulchrum putet, et v. v.

2. Si pulchrum, quod ipse non callet, aut quod efficere  
ipse nequit, ob id ipsum pro deformi habet. Quod  
præiudicium *Egoismi aesthetici* nomine innotuit.

3. Præiudicium antiquitatis et nouitatis quod duo con-  
tinet.

a) Omne antiquum pulchrum, 'omne nouum deformē.

b) Omne nouum pulchrum, et omne antiquum deformē.

Hoc præiudicio ex parte certo laborarunt, superio-  
ri saeculo disceptantes de præstantia veterum præ recentio-  
ribus, et versa vice. Ambo, ut nobis videtur, peccarunt,

tum

tum ii, qui, quidquid veteres pronunciarunt, ex tripode di-  
ctum credunt, cum illi, qui, quantum recentiores antiquis  
debeant, sunt obliti. In OWENII partes nobis eundum  
esse videtur, cuius verba e Libr. III. poster. Epigr. 47.  
huc transcribere liceat:

*Displacet insipiens nouitas delira vetustas  
Non placet: est vero, nil mibi, Paule prius,  
Non ego sum veterum, non adsecla, Paule, nouorum  
Seu vetus est verum diligo, siue nouum.*

Recentiorum vero scripta non semper ea ac antiquo-  
rum monumenta, se commendare pulchritudine, ex eo  
nobis oriundum esse videtur, quod, ut illos adsequerentur,  
ipsos imitandum sumserunt, cum veteres naturam imita-  
tione consequi adniterentur. Vetustiorum litterarum  
monumenta auxilio quidem esse possunt scriptoribus nostris  
naturam imitantibus, sed eam, non illos, exemplar su-  
mant. De disceptatione illa, quas veterum et recentio-  
rum comparatio genuit, adeas *Illustr. AYRERI dissert.*  
*de comparatione erudit. antiquae et recentioris, quae eius-*  
*dem Edit. BLACKWALLII est subiuncta.*

4. Si nihil perfectum ac pulchrum credit, nisi quod foetus sit hominum suorum.
5. Praejudicium autoritatis.

### XXIII.

V. *Iudicia gustus claritate seu viuiditate maxima possibili gaudeant. Enim vero, quo quaevis eorum clariora sunt, eo magis*

ad usum vitae faciunt communis. Praecipue claritatis sit studiosus in rebus, quae eiusdem ingrediuntur territorium (XX), ut vero in hoc ipso rite procedat, obiecta, quae diudicanda sumit, antea exploret, an claritatis, et cuius eiusdem gradus et capacia sint et digna. Hoc facto pluriore et maximos claritatis gradus adsequi studeat. Quo igitur maiores sunt res atque digniores, eo clarius eas diiudicare admittatur. Quo minores sunt et leuiores, eo minus animum ad eas attendat. Clarius ut res diiudicare possit, saepius unus eiusdemque repeatat diiudicationem, iam ingenium adhibeat in iis considerandis, iam acumen, nunc memoria repeatat antea cognitas relationes, cet: Claritas et intensionem et protensionem gustus promouet (XVIII.).

*Ex dictis patet, quod in iudiciis gustus saepe aut pulchritudinem aut deformitatem adeo obscure cognoscere possumus, ut eandem symbolice notare non valeamus.* Hinc in iudiciis gustus admitti potest, qui dicamus, adest pulchrum, non deforme, nescio quid (*je ne sais quoi:*). Admittitur vero hoc in iudiciis saltem de rebus, quae aut claritatem non admittunt, aut eadem non sunt dignae.

## XXIII.

**VI. Diiudicationes gustus certitudine seu evidentia maxima possibili se commendent necesse est.** Nisi enim de iudiciis suis quisque est certus, semper sane dubius haerebit, an eadem vera

sit,

sint, an falsa, cum veritatis eorum nondum clare sibi sit conscientia. Quo clarior eius de veritate iudicii est cognitio, eo certior erit de eodem. De plurimis igitur, de maioribus, dignioribus iudiciis gustus maximo possibili gradu sit certus, praecipue si obiecta ad eius territorium pertinent (XX.). Id quod et intensionem auget gustus et protensionem (XVIII). Res si non tanti sint facienda, ut de earum iudicio certus sit, probabilitas sufficit.

Duo adhuc hic monenda videntur: *Primum*, si de iudiciis gustus certi sumus, vitabimus et *pertinaciam gustus*, i. e. si erroneas diiudicationes sensitivas pro veris ventilamus, iisque insistimus; et *inconstantiam gustus*, quam *BOILEAU* nobis *Sat. VIII.* explicat, ille ait:

*Voila l'homme en effet. Il va dublanc au noir  
Il condamne au matin ses sentimens du soir.*

Quod certo evenit, cum gustus certitudine non gaudet.

Alterum, rite intelligas tritum illud; *de gustu non est disputandum*, scilicet eo indicari debet: ne flagres studio rixandi cum aliis de iudiciis gustus, circa obiecta singularia. Verum si forsan proverbium nimis proprie sumeres, tunc contra illud excipienda quaedam erunt, fieri enim potest:

I. ut quis pulchritudinem in obiecto obuiu obseruet, alter deformitatem, cum finita omnia ex parte perfecta et altera ex parte imperfecta sunt, et ratione cognoscentis unus magis perfecta prae altero pollere potest facultate cognoscendi. Hinc ambo vera ferunt iudicia (XXII. 2.),  
quae

quae quisque defendere, de gustu ergo disputare potest.  
Videat tamen quilibet, ne sit pertinax.

2. Fieri potest, ut iudicium cuiusdam sit erroneum. Cum gustus sit cognitio sensitiva, quae ex parte semper obscura (XVII.), hinc eo magis errori obnoxia. Ne igitur sibi quisque persuadeat, falli se nescium esse in iudiciis gustus; audiat itaque alterum in rectam viam eum reducentem: de gustu hi etiam disputare possunt.
3. Si obiecta talia sunt, ut circa ea gustus et intellectus iura esse paria adpareant; iudicia intellectus certiora ac tutiora semper sunt praediudiciis gustus. Audias igitur iudicia rationis. Ne itaque proverbio illo quasi vallo te circumdes, si alii iudicia tua perfectiora et veriora reddere student; accipias iudicia intellectus, uti exceptiones contra iudicia tua gustus, et in hoc igitur casu de eo disputare licet.

## XXV.

VII. *Vita p[re]ae omnibus, quantum fieri potest, exornet iudicia gustus.* Hoc enim efficit, ut fiant utilia et foecunda. Praecipue vero ea obtineat, in diiudicandis obiectis, in territorio eiusdem positis, et maioribus, et dignioribus. Hoc autem ut efficere possit, pulchrum ac deforme intuitiue cognoscat, obseruetque superiores gustus perfectiones a §. XX ad XXIII. traditas. Vitet voluptatem et taedium adparens, crassius et inconstans, distinguatque voluptatem et taedium

dium ex iudiciis gustus ortum trahens, a taedio et voluptate, quam in anima simul percipit, quod intensionem gustus auget. Vitet igitur *indifferentiam* gustus, seu eiusdem vitium, quo vita caret. Hinc iudicia ei gustus sint motiva ad tot tantasque actiones, quantum fieri potest. Quod autem ut fieri possit, omnes obiecti praeteritas, praesentes, futuras relationes, causas, effectus, consectaria, fructus, damna, cet. consideret.

## XXVI.

VIII. *Quo faciliori tandem negotio iudicia gustus feruntur, eo perfectior gustus est,* eo maior enim est habitus. Hunc ut adquirat, diiudications instituat, etiamsi aliae in anima adsumt clarae representationes, etiamsi fortiores sint, diuersique generis, neque admittat, ut pulchrum rei eius ei celet deformitates. Alias denique exerceat animae facultates, quae ad diiudicandum faciunt.

## XXVII.

Vitia, quae dictis gustus perfectionibus opposita sunt, opposita declarantur ratione. Atque cum praecipua quedam eorum, in perfectionum tractatione, iam tradidimus, longiori eorum enumeratione et explicatione supersedere sane nunc possumus. Nominasse ea sufficiat. *Quo pauciora, minora, leuiora, obiecta; quo angustiores, minores, viliores pulchritudines; quo pauciores et maiores saltem deformitates;*

F

quo

*quo falsius, obscurius, omnia haec diiudicat, quoue diiudicatio sua magis certitudine ac vita caret, eo imperfectior et corruptior (XVIII.) erit gustus.*

## XXVIII.

*Vitiorum gustus explicationis loca, fontes quosdam aperire placet, vnde diuersa, et eo ipso saepius falsa de pulchro et deformi promanant iudicia.*

1. *Diuersi sunt iudicantes; hinc diuersa iudicia; sunt quibus physice est impossibile, qui pulchritudines et deformitates quasdam rite diiudicent, cognitio eorum angustior, defelius experientiae, iudicandi facultas minus exercitata tenuesque naturae dotes, iudicantes eos coercent. At vero iudicant, neque ut territorii sui fines recte determinant, curant. Hinc obiectum illis obuium, angustum, ineptum, obscurum, cet: esse sumunt Relationes quasdam essentiales et necessarias, quae non sunt, alias accidentales, et arbitrarias, quae necessario rei adhaerent, esse credunt. Alii, in quibus, quid efficere possit, natura experta esse videtur, de eodem iudicantes obiecto, in illo vbertatem, magnitudinem, dignitatem cet. deprehendunt. Diuersa iudicia, quorum priora ut plurimum falsa et inepta.*
2. *Diuersae sunt relationes, quae pulchrum constituunt, sunt, qui se inuicem confirmant et eleuant, sunt, quae se debilitant,*

tant, temperant. Sunt, quae enti ratione positus, situs, loci, quem in vniuerso habet, conueniunt. Quodsi igitur plures quis earumdem cognoscit, alter pauciores, si nexum, in quo obiectum est, vel maiorem vel minorem esse sumunt, diuersa inde ferunt iudicia, quorum vnius semper ex parte falsum.

3. Fructus, quos ex obiectis haurimus, amicitia aut odium erga et contra autorem artificii cuiusdam, relatio obiectorum, ad vitae nostrae rationem, ad artem, scientiam, quam praecipue colimus, cuiusque amore deperimus, usus receptus, mores, climata, regiminis rationes, cultus, euentus, educatione, institutio, ideae aduentitiae seu admixtae, maxime diuersa gignunt iudicia. Memor sis verborum CICERONIS *Orat. pro Arch. poet. Cap. VII. in fin.* Quodsi, inquit, ipsi haec (litterarum elegantiorum studia) neque attingere, neque sensu nostro gustare possemus, tamen ea mirari debemus, etiam cum in aliis videremus. Doctissimi quique viri plures forsan adhuc videbunt errorum fontes, hos vero, ut quisque eos vitet, indicasse sufficiat.

## XXVIII.

Quodsi itaque gustum perpolitum et perfectiorem effecimus, de iis, quae in ipso iudicandi actu obseruanda videntur, pauca adiiciemus. Gustum theoreticum (XVIII) si respicimus, duo eius, quae diiudicat, sunt obiecta, natura scilicet et ars. Prius

si species, ex definitione gustus sequitur, necesse esse, disquirit, an relationes legitimae sensibus facile cognoscendae ad sint, id est an pulchrum sit seu deforme. Deinde, an perfecti nibus pulchri, (III. ad X. explicatis) obiectum in vniuersi natura obuium gaudeat, quae illi desint, quasque ex illis pracci pue admittat. Quo plures earum adsunt eo maior, quo pauciores, eo minor pulchri erit perfectio. Idem de deformi obtinet. Artem si respicimus, iisdem, quas diximus, obseruat is, praecipue videat, an naturale etiam pulchri (V.) adsit. Quo magis ab eodem reliquisque perfectionibus recedit, eo magis accedit ad deformitatem. Haec autem diiudicatio, eo facilius ut procedat, regulam quisque seu mensuram abstrahat generalem, de gradu et maximo et minimo pulchritudinis et deformitatis, quoad ipse quantitates hasce intensias, ex iis, quae in superioribus de gradibus pulchritudinis adiecimus, quaeque vnius cuiusque artis regulae magis determinant, potest dimetiri. Regula haec generalis et *norma idealis* appellari consuevit, ex qua reliquos deinde gradus determinare valet. Si e. c. vitam pulchritudinis spectamus, attendamus legentes, cernentes, audientes, ad gradus motuum animi, quibus inflammamur. Obseruemus maximum et minimum gradum, atque exinde faciamus mensuram. Sola in arte gustus occupatur *practicus* (XVIII.) Ex ipsa eius natura sequitur, duo ei praecipue esse spectanda. *Primum* erit obiectum, quod imitandum sumit. Purior hic gustus, optima quaeque ad imitandum sibi proponet, gustuque theoretico, vtetur, qui diiudi-

diudicet, quaenam obiecta maiores aliis contineant pulchri perfectiones. Ex hisce vel vnum elget, quod imitatione consequi annitetur; vel plures, quae pulchritudines simul possibiles exhibent, ex quibus nouum quid componet, (cuius Zeuxis Venerem pingens exemplum nobis subministrat CICERO de invent. L. II. ab init.). Quod, etiamsi id ipsum qua totum non existat, naturale tamen dici potest, cum id maxime, teste QUINTILIANO, est naturale, quod fieri natura optime patitur. Deinde etiam ingenii vires exploret necesse est, ut HORATIVS art. poet. v. 38. seqq. praecipit.

*Sumite materiam vestris, qui scribitis, aequam  
Viribus, et versate diu, quid ferre recusent,  
Quid valeant humeri.*

Alterum modus est atque ratio, qua obiectum hocce bene feliciterque imitetur, vbi cuiusuis, in qua versatur, artis leges ei erunt auxilio. Minime vero sufficit, ut obiectum pulchrum sit, signa etiam, quibus illud imitaturus exprimit, pulchritudinem prae se ferant necesse est. Praecipue attendas, ut sint adaequata (V). Vitet pulchri vitia.

## XXX.

Restat, ut quaedam adiiciamus, quae illis, respectu gustus, obseruanda sunt, quibus arduum maxime negotium, educatione iuuentutis, datum est. Eorum est, ut ab ineunte statim aetate, gustum minorum naturalem, cultum atque perpoli-

F 3


tum

tum reddant. Hoc ut fiat, maxime iuuabit sequentia si obseruent.

I. Eos, qui illorum curae traditi sunt, attentos reddant, ad pulchra naturae (III.) et in artefactis, ad naturale pulchri (V.). Hoc ipso efficient, vt vere pulchra iisdem familiariora fiant, atque illis deinde regularum instar sint, ad quas reliqua obiecta dimetiri possint. Tuttissimum hoc nobis videtur medium, ad evitandum antiquitatis et nouitatis praeiudicium (XXII. 3.). Ex hoc principio determinentur, et lusus pueriles, eorumque vestitus, ac gestus.

II. Praecipue animum aduertant, vt, quam cito fieri potest, pueri decorum virtutis et turpe vitii rite animaduertant. Hoc enim gustus officium est, vt, sumimus quod mens virtuti sit dedita, viam ad nobiliora et praefantiora facta nobis sternat. Historia hic se suosque fructus commendat, vt et fabulae Aesopi, Excell. GELERTI aliorumque, quae iam dudum puerorum manus voluere coustueuerunt.

III. Aditus artium illis sunt recludendi, ostendendumque illis, qua ratione veteres earum auxilio imitantes et exscribentes quasi naturam ad communes plausus, proprium quasi et singulare sibi ius adquisiuerunt. Quod vt eo melius procedat, optimi antiquorum et nostratium scriptores illis euoluendi sunt, in quorum quasi familiaritatem



ritatem penitus cum se dederint, autores deinde minus probatos legant, ut ex illorum comparatione horum vitia illorumque virtutes discant.

**HII.** Denique legant aliorum iudicia de scriptis et artefactis, audiant illa in consuetudine, quae cum talibus illis intercedat viris, qui puriore iam ac perfectiore gaudent gustu, quo facto eo iam peruererunt, ut perfectiones gustus XX. ad XXVI. explicatis, ipsi adquirere admitti possint.

Forte exspectabis, qui media indicemus, qua ratione gustus corruptus in rectam possit reduci viam. Quum vero quaedam de mediis et perfectiorem reddendi et tenera aetate formandi gustum diximus, facile ex iis, quae hoc pertinent, colligi possunt. Quin et ipsa gustus corrupti natura, leges suppeditat, cum sit facultas, erroneas ac falsas ferendi sensitivas diiudicationes (XVIII.) necesse erit, qui omnes, ut aiunt, lapides moueamus, ut ille, cuius est gustus corruptus, veris adsuefiat iudiciis. Rationem autem, qua hoc fieri possit, XXII. n. IIII. et XXX. inuenies. Consilia vero semper e re nata capias, ut enim quisque generatus, educatus, institutus moratusque fuerit, sic modus et ratio semper mutantur, quibus gustui eius erit consulendum. Ratione autem utaris leniori et mitiori, quam maxime fieri potest, ne tua traditus cura animum induret. Si habitum vere de obiectis ferendi iudicia sensitiva adquisivit, tunc reliquis operam det gustus perfectionibus.

XXXI.

1501

Gustum si nobis perpolitum ac puriorem et delicatum denique adquisiuimus, sequentia potissimum fugiamus. Primum: Cauteamus, ne morosi fiamus ac difficiles gustui nostro nimis obsequentis: semper memores despiendum esse in loco, id est, cedamus in rebus leuioris momenti aliis etiam si ex nostra sententia, meliora forte videremus, ne in odiosam minutiarum sectationem incidamus. Deinde, ne intemperantes simus in earum rerum cupiditate, quae ex nostra sententia venustate quadam sese commendant, atque hoc ipso luxuria disfluamus. Denique, ne nimis iudiciis gustus indulgeamus; nosque iis nimis adsudefaciamus, praecipue si objecta et gustui et intellectui ad diiudicandum subiecta esse videmus, sed multo magis ambo et rationis et sensituum iudicium coniungamus, id quod et gustum semper puriorem efficiet, et nouum nobis fontem animi adperiet delectationis.



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**IO. CHRISTOPHORO**  
GREVIO  
S. R. D.  
**IO. ERN. IMM. WALCHIVS**

SAPIENTISSIMA profecto est vitae Tuae  
academicae ratio, et ita comparata, ut  
nullum certe laudis genus, quod vel ex dili-  
gentia et indefesso proficiendi ardore; vel ex ho-  
nestatis studio morumque elegantiorum cultu-  
ra peti solet, deesse TIBI videatur. Norunt  
hoc omnes, qui te familiariter utuntur: pae-  
dicant praeclaram mentis Tuae indolem aca-  
demiae nostrae doctores, in quorum discipli-  
nam TE tradidisti, et qui uno quasi ore, quantum  
abs te patriae emolumenti; tantum a patria  
TIBI ornamenti et laudis verissime augurantur.

G

Inpri-

In primis vero laudabilis TVAE industriae et  
virtutis ipse ego adsiduus fere spectator et te-  
stis, cum in scholis meis, quas sedulo frequen-  
tasti, priuatissimis, tum in societatis latinae con-  
uentibus, non sine summa voluptate fui, et iam  
tum, talem TE futurum, cognoui, qualem TE pu-  
blice iam ostendis, hoc est, iuuenem eruditio[n]is et  
doctrinae laude florentissimum. Itaque pro meo  
in TE amore non possum, quin de magnis his, quas  
facis, laudis accessionibus laetissimum animum  
TIBI significem, ac vota simul pro constanti  
ac perpetua TVA salute faciam. Faxit supre-  
mum Numen, ut ea haud irrita sint, proque  
infinita sua gratia efficiat, ut, quodcumque fe-  
licitatis prosperitatisque genus in mortales ca-  
dat, id omne in te large effuseque per omne vi-  
tae TVAE tempus reperiatur. Ienae, d. XIII.  
iun. CICCI CC LX

NOBL

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**IO. CHRISTOHP. GREVIO**  
 S. D. P.  
**IOAN. FRIDER. HIRT,**

S. S. THEOL. D. ET PHIL. PROFESS. PVBL.

**T**ritissimum sane est, et neminem facile fugit effatum  
 de gustibus non esse disputandum, minime tamen  
 reprobendo, sed maximis potius extollo laudibus  
**TVVM**, respondens doctissime, conatum, quem in tuenda doctissima  
 de bono gusto dissertatione ostendis. Et sicut certam in-  
 gredior spem, fore, ut quilibet vel mediocris iudicii ex eruditæ  
 hac exercitatione haud obscure sit collecturus, quantum laudis,  
 ornamenti et utilitatis adferat, tempus optime terere atque  
 in bonas artes excolendas et ex liquidissimis fontibus haurien-  
 das incumbere; ita nullus plane dubito, quin doctissimum hoc  
 specimen cum praeside **TV O** doctissimo, amico meo longe dilectis-  
 simo, viriliter et egregie sis defensurus. Gratulor **TIBI** ita-  
 que hoc eruditionis **TVAE** documentum ex animo, enixe De-  
 um precans, ut **TIBI** gratia sua porro adesse, viresque lar-  
 giri benignissime velit, quo in semita doctrinae ac virtutis,  
 quam ingressus es, procedere possis feliciter. Sic amicorum  
 spem in **TE** positam explebis: sic uberioris eruditionis **TVAE**  
 fructus patria dulcissima exspectare poterit: sic studiorum **TVO-**  
**RVM** praemia te comitabuntur exoptatissima. Vale, mihi-  
 que faue. Scrib. Ienae, ipsis Id. Junii A. S. R. MDCCCLX.

G 2

NO.

NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO

DISSERTATIONIS HVIVS

DEFENSORI STRENVO

FAVTORI ET AMICO SVO

AESTVMATISSIMO

S. P. D.

CHRISTIAN. AVG. FRIDER. SLEVOGT

PHILOS. MAGIST.

**S**umma sane perfundor laetitia, quod commodam nactus  
sim occasionem, TIBI, AMICE SVAVISSIME!  
de felicissimo studiorum TVORVM successu gratu-  
landi, et, quanti TE aestimem, publice significandi. Quum  
enim nihil eorum in TE desiderari passus sis, quibus plausus  
eorum omnium nobis conciliamus, quos praeclara quaevis de-  
lectant; ego quoque officio huic nullus deesse possum. Digna  
potius prosequor gratulatione eam, quam in TE cognosco, mo-  
rum praestantiam, vitae probitatem, diligentiam indefessam,  
scientiam praeclaram, eruditionem solidam. Huius guidem

poste-

posterioris praeclarum iamiam edis specimen, doctissimam,  
solidiori cura conscriptam, omnibusque eruditis maxime pro-  
batam dissertationem defendendo, et quum CLARISSI-  
MVS AC DOCTISSIMVS PRAESES TVVS,  
fautor meus valde suspiciendus et amicus longe aestumatissi-  
mus, dissentientis partes mihi demandauerit, adeoque me te-  
stem prorsus egregiae TVAE eruditionis ficerit, munere hoc  
ita perfundurus sum, ut animum meum TIBI pariter atque  
CLARISSIMO PRAESIDI deditissimum publice de-  
clarem. Faxit supremum numen, vt, studiis TVIS acade-  
micis, quibus hactenus laudabiliter incubuisti, finitis, in pa-  
triam, ecclesiam, vniuersumque orbem litteratum fructus inde  
redundent uberrimi. Quod autem reliquum est, maximopere  
abs TE peto, vt in posterum me favori TVO ac benevolen-  
tiae commendatum habeas, et credas, me semper ad omnia  
amicitiae atque humanitatis officia fore paratissimum. Vale  
et faue. Ienae d. XIII. Iun. a. o. r. M D C C L X.



NOBILISSIMO AC DOCTISSIMO  
**IO. CHRISTOPH. GREVIO**

FAVTORI ATQVE AMICO AESTVMATISSIMO

S. P. D.

P R A E S E S

**Q**uanta, quamque foecunda boni sint consecaria, de nouo nunc ego quidem cernere et intelligere potui. Quum enim Praecell. Noeltingius, amicus communis et suauissimus, qui decus et patriae est et amicitiae, suis me adscribere dignaretur amicis; inde TVA mihi nata est amicitia et consuetudo, cuius in me merita nulla umquam delebit obliuio. At vero nouus iam ad ea accessit cumulus; cum defendantis provinciam, me rogante, pro TVA humanitate, in TE suscep-  
ris. Quam ob rem, cur et TIBI et mihi ipsi gratuler, summas prae me habere mihi videor rationes. TIBI, de egregiis sane, quas facere consueisti, laudum TVARVM accessionibus, qui communi plausu ornatus, quod certo fieri persuasis-  
sum, e cathedra discessurus es; mihi vero ipsi, qui amicum, lauda-  
tum virum, meas defendantem partes inueni. Talia haec quidem sunt, pro quibus gratias TIBI habeo et habeo semper, easque maximas; meque TIBI ad omnia, quae a me quidem exspectari possunt, officiorum genera, semper paratissi-  
mum fore confirmo. Faxit Deus O. M. ut inclyta patria et gens TVA splendidissima, quum TE in amplissimo et fortunae et dignitatis loco mox viderint, spem, quam de TE concepe-  
runt, non adimpletam solum; verum, ut certe scio, superatam cernant. Vale, mihi que faue. Scripsi Ienae, d. XIIII. Jun.  
ciclocclx.

A MON-

# A MONSIEVR LE M. BASCH

## MONSIEVR,

**V**ous ne pourrez mieux faire connoître au public l'étendue et l'excellence de Votre Genie, que Vous l'avez fait en traitant solidement une matière aussi délicate que celle du GOVT. Doué de tous les heureux talens qui font les beaux Esprits, Vous réunissez encore en Vous le Mérite de l'ami le plus tendre et celui du plus parfait honnête homme. Les connaissances que Vous possédez, surtout ce qui est beau, noble et naturel, répandent je ne sai quels charmes inexprimables sur l'amitié que Vous avez pour moi. Un ami, qui manque de Gout est aussi peu estimable qu'un ami qui manque de Tendresse. C'est ce Gout épuré qui nous développe les douceurs, les plus delicates de l'amitié, et qui nous en fait intimement sentir les agréables transports. Qu'il sera flatteur désormais pour moi, de me rappeller le tendre Souvenir de ces heures, qui se sont si doucement écoulées dans nos épanchements de Coeur ces heures charmantes où nous nous livrions tout entiers au doux plaisir d'entendre les accens melodieux de notre Gesner allemand, je veux dire, du plus intime et du plus cher de nos Amis. Vous connoissez sans doute à ces traits Mr. le M. SCHMIDT.

Combien de fois ne me transporterai-je pas en esprit dans ce Sejour fortuné, en me rappellant les douces années que j'ai

pas

passés sur les Bords de La Sale. Mais qu'est-ce qui vient m'interrompre dans ces petites mais aimables reveries? C'est l'applaudissement de ce peu de Favoris d'Apollon qui sejournent dans nos Campagnes, et qui les font retentir des éloges que Vous meritez à si juste Titre.

Le Zèle que vous faites voir, Monsieur, pour retrablier chez nous l'Amour du bon goût, engagera les Musées à se choisir une demeure dans nos contrées, qui ont tous les appas de Gnide, et de Paphos, et qui sont véritablement dignes d'être habitées par les neuf Soeurs.

L'Amitié, qui lie si étroitement nos coeurs, qui les liera à jamais m'engage à faire parler un Auteur dont la lecture nous a tout de fois charmés.

*Celestial Happiness whene'er she stoops  
To visit Earth, one shrine the Goddess finds  
Amid alone, to macke her sweet amends  
For absent Heaven: -- the Bosom of my Frind. Young.*

Je ne puis, ce me semble, rien ajouter à ce beau passage. Je me contente de Vous répéter ce que je ne saurois Vous dire trop de fois, c'est, que je Vous aime, et que je suis le plus tendre et le plus fidèle de Vos Amis comme aussi

## MONSIEUR

À IENE

le 13. de Juin  
1760.

Votre très humble serviteur

E. I. P. STEMANN

*E. I. P. d'Holsace.*

Sci

Seinem lieben Freund  
dem Herrn Respondenten.

Schon naht sich, bester Freund, die feierliche Stunde,  
Die Dir gewissen Ruhm verspricht;  
Schon hör ich, wie aus Deinem Munde  
Die Wahrheit selbst für ihre Rechte ficht;  
Schon herrscht ein aufmerksames Schweigen  
Im ganzen Saal; schon machst Du Dir  
Den Beysfall aller Hörer eigen,  
Und wirkst gerechte Lust in mir.  
Muß nicht Dein Ruhm mein zärtlich Herz entzünden?  
Geliebtester, Du kennest mich! - - -  
O möcht ich oft mein Wohl in Deinem Wohle finden!  
Ein Glück, schön wie Dein Herz: das ist mein Wunsch  
für Dich.

Johann Ludwig Schlosser.



VIR O  
NOBILISSIMO DOCTISSIMO  
FAVTORI AC AMICO  
EX PAVCIS DILECTISSIMO  
IOANNI CHRISTOPHORO GREVIO,

S. P. D.

I O. F R I D. S T E I N F E L D

H A M B U R G E N S I S

S S. DD. C. et Societatis, quae Ienae floret, Latinae  
Sodalis ordinarius.

**S**icciine TE eruditorum palaestram iamiam iterum vidimus aduolantem,  
Patris TVI, iam omnium consummatissimi, gloriam, ac generis splen-  
didissimi famam alacriter tuentem? Tanto negotio, crede mibi, TE  
dignorem existimo sane nullum, quin TIBI pro ingenii dexteritate  
ullum melius foret euenturum, ac faustius. At vero nunc mea omnium inter  
amicorum vota, quorum in comitatu in arenam descendis, esse ardentissima,  
velim TIBI habeas persuasissimum. Sis itaque fortis, sis felix! Reuertent in  
TE plausu circumsonatum exhilarante excipient tecum amicissimorum TVO-  
RVM amplexus. Quia voluptate, quam ex sorte TVA utque benevolentia  
erga me tunc sum percepturus, mihi nulla erit maior, nulla suauior. Iam  
illa ut in dies TIBI euadat iucundior, hac vero me quoque in posterum digna-  
ris, est, quod iterum iterumque excepto atque obtestor. Vale! Scrib. Ienae d.  
XIIII. Jun. A. R. S. cIc Ic c c LX.



ONLY

Aesth. 94.



